

Quae hic praescripsimus, ea ad effectum adducantur a Venerabile Fratre Vincentio Fagiolo, Archiepiscopo Theatino atque Praeside Conferentiae Episcopalis Aprutinae et Molisinae, quem deputamus cuique necessarias et opportunas facultates facimus, etiam talis mandati alicui viro in ecclesiastica dignitate constituto subdelegandi, salvo utcumque officio curandi ut, executione peracta, actorum documenta exarentur eorumque certa ac vera exempla ad Sacram Congregationem pro Episcopis transmittantur.

Has porro Apostolicas Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die altero mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo secundo, Pontificatus Nostri quarto.

+ AUGUSTINUS CARD. CASAROLI
a publicis Eccl. negotiis
Praefectus

+ SEBASTIANUS CARD. BAGGIO
Sacrae Congregationis pro Episcopis
Praefectus

MARCELLUS ROSSETTI, *Proton. Apost.*

LIBORIUS SCACCIA, *Proton. Apost.*

Riordinamento della Provincia ecclesiastica di Chieti

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Fructuosae Ecclesiae administrationi et catholicorum bono spirituali non parum prodest circumscriptiones ecclesiasticas iusta ratione constitui. Quod considerantes Sacrorum Antistites regionis Aprutinae et Molisinae, atque normis Decreti Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II « Christus Dominus », n. 40 obsequentes, ab hac Apostolica Sede postulaverunt ut provinciae ecclesiasticae Theatinae fines opportune recognoscerentur.

Nos autem, quorum est ex divino mandato necessitatibus omnium Christi gregis portionum sollerti cura prospicere, pro certo habentes huiusmodi petitionem in animarum salutem esse cessuram, preces eorundem admisimus et haec quae sequuntur Nostra Apostolica potestate statuimus et decrevimus.

Circumscriptiones ecclesiasticae, quae intra fines provinciae civilis Theatinae comprehenduntur, provinciae ecclesiasticae Theatinae adgregentur et iuri metropolitano eius Archiepiscopi ad normam iuris communis subiciantur, Archidioecesi Lancianensi non excepta, quae tamen titulum metropolitanum amittet, extincta provincia eiusdem nominis.

Proinde metropolitana Ecclesia Theatina constabit ex suffraganeis Ecclesiis: Lancianensi, quae dignitatem archiepiscopalem servabit, et Ortonensi, quae perget esse aequae principaliter coniuncta cum Ecclesia Lancianensi, et Vastensi.

Ad haec omnia perficienda deputamus Venerabilem fratrem Vincentium Fagiolo, Archiepiscopum Theatinum atque Conferentiae Episcopalis Aprutinae et Molisinae Praesidem, factis ad id necessariis et opportunis facultatibus, quas alii legare poterit, modo viro in ecclesiastica dignitate constituto.

Re vero acta, documenta exarentur et eorum sincerum exemplar quam primum ad Sacram Congregationem pro Episcopis mittatur.

Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die secundo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo secundo, Pontificatus Nostri quarto.

+ AUGUSTINUS CARD. CASAROLI
a publicis Eccl. negotiis

+ SEBASTIANUS CARD. BAGGIO
*Sacrae Congregationis pro Episcopis
Praefectus*

MARCELLUS ROSSETTI, *Proton. Apost.*

LIBORIUS SCACCIA, *Proton. Apost.*